Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.



Sena urbem Ethrurie diuitibus opibusque nunc florida amenissimo loco sita. Et ut Policrates libro
sexto tradit a gallis senonensibus temporibus breuis ante christi aduentum CCCLXXXII cum in Italia
venit condita pro senibus suis et armentariis eam construxerit / non modo fides historie sed ce-
lebris tradicio. Ex eo quod validior ex senenses et liniamentis membrorum et venustate faciei et coloris
gratia moribus quoque ipsis ad gallos et britones a quibus origine traxerunt videntur accedere. licet eos
vetustas temporis orbis plaga situs regionis quietis finitimorum quibus sanguine et moribus diu permixti sunt
ex magna parte mutauerit / Sed reuera inter nouas numerari potest / cum nullis in veterum monu-
mentis reperiatur nullaque antiquitatis vestigia in ea appareat / Sunt qui affirmant Carolum cui mal-
leo fuit cognomentum eam condidisse. In celebri tamen monasterio Venetiis sancti Georgii de alga (quod glo-
riosus pontifex Eugenius relicto primum seculo propria edificauit paterne hereditatis pecunia) inueni in
libro literis scripto peruetustis / Ioannem romanum pontificem nominis ordine duo de vicesimum Accep-
tis de perusina clusiensi / Aretina / fesulana, florentina et volaterrana diocesibus, sex plebatibus ciui-
tatem hanc edificasse / que ab ipso sex plebatum numero Sena fuerit appellata / Hec quippe ciuitas nunc
super colle cuiusdam peninsule iacet undique quasi ripas rugosas habens / in superiore tamen
urbis parte, solum aliquantulum habet / ortis viridariisque ornatum / In qua quidem celeberrima ex-
tant edificia / videlicet Gymnasium perpulcrum et forum et porticus et regia palacia / hospitaleque sup-
tuosissimum pientissime gubernatum / Ampla quoque et libera est cum turribus et propugnaculis. Ac optimis
instituta moribus, populo neque rudi neque inurbano / Eius ager maximus et herbidus semper boum
bubalorum ouiumque multarum nutritor / frumenti quoque vini et olei ferax / Ac fructuum omnis generis
abundans / Hec a roma stadiis octingentis distat / Cuius ciues inter Etruscos religione moribus ac
lingua prestare noscuntur / Habuit autem Sena illustres viros Sanctum Bernardinum Cuius reliquie
apud Aquilam urbem miraculis per singulos dies multiplicatis coruscant / Hic primus omni ordine beati fran-
cisci ad eam que nunc tantopere viget obseruancia regule perduxerit / Ornatusque fuit ~~virgi~~ne medi- Hugone
co et philosopho qui ceteris sui seculi post functum vita Iacobum foliuiensem doctior clariorque habitus /
Et frederico Iuris consultissimo / qui ea in doctrina consilia plurima edidit / Sena quoque Siluio Enea poeta
primum laurea, post episcopali et papali mitra redimito. Viris quoque plurimis et pontificibus doctrina ex-
cultis ornatur. Umbrone senensis agri fluuium inter et paludem Danaam / sive fluuium palia
que ea palus efficit multa sunt montana et campestria oppida. In eisque Clusium vetustissima urbs de
qua plinius plura scribit / que olim Carmon fuit nominata: nunc urbi senensi subiecta et ab eo aucta